



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. De necessitate Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

discursum habentur, & si defacto præmissæ supernaturales præcedunt, non est ratio, quare non asseramus Conclusiones supernaturales inferri; Connaturalius enim est ex præmissis supernaturalibus supernaturales Conclusiones inferri.

RESPONDETUR. Quod attinet ad primum, quidquid sit de Antecedente, Disparitas est; quia datur principium supernaturalisativum illorum discursuum, non datur autem principium supernaturalis, quod eliciat Conclusionem quâ talem, tanquam actum fidei. Prudentiæ supernaturalis dantur actus supernaturales, quia datur principium supernaturale ipsa prudentia, quæ dum utitur discursu, utitur tanquam applicativo, merèque naturali. Connaturalis autem esset elici Conclusionem supernaturalem, si adesset principium formalisativum Conclusionis in ratione revelatæ; secus si desit: ut de facto deest revelatio, circa principium: Quæ sunt eadem.

OBJICITUR Quintò ex Isthis, quæ sibi opposuit, nobiscum sentiens Quiros I. parte tr. d. 5. n. 11. Conclusio moveatur motivo præmissatum, & in illas resolvitur. Ergo Conclusio moveatur saltem partialiter ex motivo præmissatum supernaturalium. Sed actus specificatus ab objecto formali supernaturali, supernaturalis est. Cur enim ex principio supernaturali extrinseco supernaturalitatem sortietur, & non ex motivo formali intrinseco?

RESPONDETUR. Quòd Conclusio moveatur motivo præmissatum non absolute, sed ut innitenti principio, quæ sunt eadem, eoque non revelato. Ex dictis alibi, potest esse actus naturalis habens motivum supernaturale, non rectè ergo inferretur supernaturalitas ex motivo. Paritas adlata non tenet. Ratio quia principium illud extrinsecum ordinatur per modum causæ, ad dandam speciem sui ordinis, hacque intentione ponuntur talia principia à Deo. Jam autem motiva ex dictis alibi, non ordinantur ad dandam speciem sui ordinis.

INSTABIS Primò. Præmissæ influunt efficienter in Conclusionem, Ergo & ipsa Conclusio deducta ex præmissis supernaturalibus ut supponitur, erit supernaturalis. Antecedens probatur. Tum quia causa, ut producat effectum, nequit pendere ab aliqua re, quæ ipsi nullas vires addit, ad quidem requireret confortum illius. Tum quia, ad quid aliud assensus requireret existentiam motivi. Tum quia, aliàs habitus, esset tota ratio agendi, & potentia naturalis non nisi conditio.

RESPONDETUR. Quando efficiens requirit aliquid in eodem genere, debet una illud aliud, vires agendi censeire. Jam autem motivum, requiritur in genere motivi, adeoque in alio genere ab efficiente. Habitus autem non erit tota ratio agendi: quia vitalitatis inclusæ in actibus

supernaturalibus, nullum daretur principium vitale, deberemusque nos ad illam, & quidem in negotio salutis, merè passivè habere, quod est contra Tridentinum.

INSTABIS Secundò. Posito etiam quòd Conclusio pendeat saltem directive à præmissis, sequi adhuc debet Conclusio ejusdem ordinis seu supernaturalis, quemadmodum connaturaliter amor supernaturali, debetur cognitio dirigens supernaturalis.

RESPONDET QUIROS. Causæ posse tribui majorem perfectionem, quàm tribuatur effectui, consequenter poterit esse directivum supernaturalis, licet quod dirigitur sit naturale. Deinde dici potest, per accidens esse ad Conclusionem, quod credantur præmissæ actu supernaturali fidei; posito tamen, quòd taliter credantur, nondum connaturaliter sequi debet Conclusio supernaturalis: quia tunc non nisi sequeretur, ut dictum aliàs, si adesset illius formalisativum revelatum, quod non habetur; pendet autem à Dei libertate hoc revelare non illud.

INSTABIS Tertio. Ex iis, quæ habet, Talis Conclusio est propter motivum præmissatum, præmissæ autem sunt revelatæ, Ergo & ratio assentiendi Conclusioni erit revelata.

RESPONDETUR. Talem Conclusionem esse propter motivum præmissatum, non utique, sed prout innituntur principio, quæ sunt eadem uni tertio, quòd non est revelatum.

INSTABIS Quarrò. Ad eandem speciem pertinet assensus medius & immediatus, propter idem motivum. Jam autem assensus Conclusionis, est mediatus propter revelationem.

RESPONDETUR. Negando assensum Conclusioni, ut Conclusio est, esse etiam mediatus propter revelationem absolute sumptam. Cum sit propter revelationem, prout innitentem principio non revelato: Quæ sunt eadem.

INSTABIS Quintò. Dissensus Conclusioni deductæ ex revelatis est hæresis, Ergo & assensus, est fides.

RESPONDETUR. Dissensum Conclusioni, quæ Conclusio est non esse hæresim: quia non est contra revelationem; licet objectum Conclusionis, possit continere hæresim.

QUÆSTIO III.

De necessitate Fidei.

SUPPONUNT Primò Omnes. Fidem esse necessariam ad salutem.

RATIO. Quia sine fide impossibile est placere Deo; explicuitque id Tridentinum Sess. 6. cap. 8. Eam verò fidem supponant Catholici, debe-

debere esse supernaturalem, eo, quod oppositum, sit error Pelagianorum & Semi-Pelagianorum; colligiturque ex Augustino 1. de C. sat. Christi Cap. 41. & l. 2. cap. 26. Vega tamen in aliquo casu, docet posse aliquem justificari sine fide supernaturali, ut videtur libro 6. in Trid. cap. 17. 20. & 21. Videturque ille consensisse Sotus, quamvis postea retractarit sententiam.

SUPPONUNT Secundò Omnes. Quòd merita naturalia non habeant proportionem ad primum supernaturale; quamvis Kon. d. 14. dub. 6. n. 71. doceat posse infidelem ex prævenienti Dei gratia facere aliqua bona, quibus ulteriores gratiam, quæ ad fidem pertingat, impetret. Docetque n. 108. per absolutam DEI potentiam fieri posse, ut quis sine fide supernaturali se ad justificationem disponat.

SUPPONIT Tertiò Ripalda hic d. 16. n. 28. duplicem esse fidem; quandam strictam & Theologicam, quæ Auctoritati & revelationi Divinæ ad assensum innititur; aliam latam, quæ infusa à DEO, ministerio aut testimonio creaturarum proponit honestatem moralem, ex qua virtutes naturales & supernaturales moventur. Idem dices, quòd sit cognitio supernaturalis, licet non procedens propter Ly DEUS dixit; quæ sit dissimilis fidei ratione motivi: non enim procedit propter Ly DEUS dixit: similis tamen in supernaturalitate, in exigentia illuminationis Spiritus Sancti, in præfundatione ad actus virtutum supernaturalium. *His suppositis.*

DICENDUM est. Nisi Auctoritati deferatur, posse aliquem adultum salvari, etiam in presenti re. rum statu, sine fide stricta, licet non possit salvari sine latius sumpta. Dixi. Nisi Auctoritati deferatur: quia ordinariè Auctores istam distinctionem non ponunt, & tamen omnes requirunt fidem ad salutem. Imò putat S. Thomas ad eum, ad quem non pervenit Lux Evangelii, si forte vixerit secundum lumen rationis; mittendum esse Angelum, qui eum in fide instituat. Quòd autem sine fide stricta possit quis salvari.

RATIO est, quia ex una parte non est DEUS adstringendus ad tale vel simile miraculum, ex altera parte connaturalius est, ut ex rebus creatis comparatâ notitiâ DEI, eaque supernaturalis, possit se movere homo barbarus per amorem DEI, & exercitia aliarum virtutum supernaturalium; cum ex iisdem creaturis, possit devenire ad notitiam naturalem DEI. Quòd autem non possit aliquis pro præsentium rerum ordine salvari sine fide etiam latius sumpta.

RATIO est, quia nemo, (ut suppono,) adultus, potest salvari sine motu suæ voluntatis in Deum supernaturalem; hic autem requirit præcedentem notitiam supernaturalem, ut salvetur

edictum scripturæ, saltem de fide latius acceptâ, quòd sine ea, impossibile sit placere Deo.

OBJICITUR Primò Sensus communis Theologorum in oppositum.

RESPONDETUR. Conclusionem procedere conclusâ Auctoritate, & licet non sint Auctores pro hac sententia, saltem non sunt contra illam, Ripalda etiam recenset Auctores admittentes gratiam Theologicam ad opera salutaria necessariam, quantumvis ante fidem strictam. Talis est. S. Thom. Bonav. Carth. Alb. M. Alen. Altisidor. Ægyd. Terrari. Henricus. Scot. Gabr. Gregor. Capr. Argent. Marfil. Gorfon. Abulen. Rophen. Driedo. Soto. Cord. Med. Zum. Arag. Stapler. Curiel. Belarm. Val. Tol. Sayr. Lorinus. Serrarius. Less. Cornel. Suar. Vasq. Henriq. Gran. Ruiz. Kon. Turria.

OBJICITUR Secundò. Locus S. Pauli. Accedentem ad Deum oportet credere, quòd sit.

RESPONDERI potest. Conformiter ad mentem Ripalda accedi illic per creditionem, licet non strictè sumptam. Deinde dici potest. S. Paulum non esse sibi contrarium. Nam etiam alibi posuit, quòd ex visibilibus mundi invisibilia Dei conspecta intelligantur. Unde locus ille accipi potest de fidelibus, & modo ordinario convertendis, non autem convertendis Barbaris non nisi modo extraordinario, & ad quos Lux Evangelii non pervenit.

INSTABIS Primò. Locus ille non potest intelligi de fide lata, quia Tridentinum illum intelligit de fide, quâ homo liberè convertitur ad Deum, notitia autem ex creaturis, est necessaria, cum sit plerumque evidens.

RESPONDETUR. Tridentinum illic agere non de quocunque modo conversionis, sed proposita contra Hæreticos materia, quibus aliunde lux Evangelii illuxit. Illa autem notitia potest dici libera, ratione non positi impedimenti, ut illam redderet DEUS supernaturalem.

INSTABIS Secundò. Justus ex fide vivit, non solum autem ex fide, sed & ex illa notitia viveret, quia justificaretur.

RESPONDET Ripalda n. 148. Nomine fidei, venire gratia supernaturalem antecedentem opera bona: quia illis ipsis verbis & similibus utitur Augustinus ad significandam necessitatem gratiæ. Dici item potest, sumi fidem saltem latius, vel procedere dictum de ordinariè justificatis.

OBJICITUR Tertiò. Aug. qui primam Dei gratiam semper reducit ad auxilium, quod datur credendi, ut loquitur Lib. de Grat. & lib. arb. cap. 7. & aliis locis, quæ refert Logo.

RESPONDETUR. Loqui Augustinum de creditione, quæ sit ordinario modo, quanquam illa latiori modo sumpta fides, non est sine auxilio Dei supernaturalis ante.

(r)

INSTAT

INSTAT Primò Lugo. PP. loquuntur de fide rigorosa. Unde supponunt contingere posse, quòd aliquando proponantur nobis argumenta & motiva humana, propter quæ tamen, si operemur, non meremur: quia opus tunc non procedit ex fidei fonte.

RESPONDETUR negando. Patres universaliter loqui, de fide rigorosa, sed loquuntur universaliter de necessitate notitiæ supernaturalis ad salutem, quam ponit Ripalda, ex qua notitia, si procedit opus, procedit ex fide, licet latius sumpta.

INSTAT Secundò Idem. Si fidei nomine intelligatur notitia ex Creaturis circa honestatem virtutis, frustra quæreretur: an possit ante fidem dari opus bonum in infidelibus: hoc enim esset quærere: an sine cognitione boni & honesti, possit quis habere voluntatem honestam.

RESPONDETUR. Non fore frustra quæstionem; quæreretur enim, an ante fidem sine cognitione, quæ sit supernaturalis, possint haberi opera bona.

QUÆSTIO IV.

De Subiecto Fidei.

Quòd fides recipiatur in intellectu, hoc non faciescit difficultatem, quia habitus sequitur conditionem potentiae, cuius sunt habitus, fides autem spectat ad intellectum. Est tota difficultas de subiecto remoto & capaci naturaliter fidei, v. g. an illa sit in Christo, an in Beatis; animabus purgatorii; damnatis?

Hæc inter alia sunt ex quibus taxari potest, an aliquis habitus sit in aliquo subiecto. Primò An subiectum illud capax sit versari circa illud objectum; si enim nò sit capax versari circa illud objectum, frustra poneretur in illo habitus ille, qui dicit ordinem ad tale objectum: non enim redderet bonum habentem, & tamen debet reddere. Et ita nõ datur in Angelis habitus Castitatis: quia objectum castitatis, est refrenatio motuum sensitivorum circa delectabile. Jam autem Angeli, non sunt capaces motuum sensitivorum circa delectabilia, utpote incorporei. Ex hoc capite non repugnaret in Christo, Beatis, &c. fides; quia non repugnat, ut hæc subiecta versentur circa veritatem primam obscure aliquid attestantem. Secundò ex eo est id taxandum, an actus principalis, & quasi attributionis, principiandus ab illo habitu, exerceri possit ab illo subiecto: si enim non possit exercere actum principalem, non erit subiectum naturaliter capax illius habitus. Ratio, quia habitus, est per ordinem ad actus, & quidem primò ad actum principalem; ex quo principio deduximus, non esse habitum poenitentiae in Christo: quia non potuit elicere actum principalem poenitentiae:

Ego peccavi, doleo quòd peccaverim. Unde quamvis Deus dicere, doleo quòd peccaverim, careat actu principali poenitentiae. Ex quo etiam principio deducitur, Christum & Beatos, non posse connaturaliter habere habitum fidei, quia fidei principalis actus est. *Credo veritatem primam dicentem, quam non video*, quem actum non possunt elicere Beati. Tertiò Casu, quo supponi debeat aliquod principium, quod præstet seclusis imperfectionibus id, quod præstaret alius habitus; casum rem quo supponatur, quòd uterque habitus, si respiciat idem motivum habeantque se per modum potentiae, arguendum erit, quòd cedat habitus imperfectior. Ratio: quia jam superflueret, locumque illius, perfectior habitus commodius occupat. Ex quo etiam principio inferitur in Christo & Beatis non esse habitum fidei, quia lumen gloriæ, ceteroqui requisitum, ad visionem, præstat id, seclusis imperfectionibus, quod præstaret fides, & uterque habitus, innititur veritati primæ.

Hæc autem omnia ad hoc principium revocantur: quia deficiente sine habitu in aliquo subiecto, non debet poni in eodem ille habitus, hoc ipso enim foret otiosus, si id non ex accidenti fiat. Inter fines autem quasi extrinsecos habitus, est intentio ipsius causæ primæ, finem aliquem intendentis, collatione habitus; finis autem quem intendit DEUS in collatione habitus, v. gr. fidei, est motus in DEUM voluntatis tanquam ad finem: Cujus motus, quia sunt capaces animæ purgatorii, non desinit in illis fides, desinit in damnatis, supple, fides supernaturalis: naturalem enim fidem habent, ut & Dæmones dicuntur credere, & contremiscere.

QUÆSTIO V.

De Infidelitate.

Infidelitas ut sic, est negatio assensus, eaque voluntaria objecto revelato: quæ quia est oppositum quid fidei, consequenter opposita ratione à fide, formalisari debet. Cæterum si infidelitas sumatur pro genere, etiam ad negativam infidelitatem, debet excludi Ly libera infidelitas enim negativa; etiam in fidelibus datur. Porro dividendo infidelitatem, quasi in species sub alternas, alia est negativa, alia privativa, alia positiva. Negativa infidelitas est, mera non positio actus credendi, & hæc non est propriè infidelitas, alias enim fideles hac infidelitate essent infideles: nam non eliciunt actum circa objectum ignotum illis, etiam si sit revelatum, &c. Privativa infidelitas est non positio culpabilis actus fidei, circa objectum revelatum. Dixi non positio culpabilis, quia fieri potest, ut sit